



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historia Missionis Anglicanæ Societatis Iesv

More, Henry

Avdomari, 1660

Elabitur. n. 20.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38320

ut velin id consentiret uti Cecilij, in Regio Senatu Principis, alloquium optare se diceret. Non contentus; pendeas igitur, inquit, donec putrescentibus tabe membris concidas, & abis: Aliquanto tamen post tempore demissus de columna reducitur ad cubile, id frequenter de via ingeminans, "Mirari vehementer se cur tantopere quærant, ubi *Garnettus*: & similia; quandoquidem illicitum est innocentes homines proderi; Quodque ad se attineret mortuum potius quam ut tantum flagitium in se admittat." Id calumniæ auctitenda gratiâ à *Gerardo* dictum, familiare enim est huiusmodi vexatoribus id in vulgus, tanquam factum spargere, quod factum esse vehementer cupiere. Postero die rursus *Wadus* ad Arcem, *Gerardum* que *Garnetti* innocentiam prædicantem mandat eodem genere cruciamenti torqueri; atque cum doloris acerbitate euascentem infusa in os per vim potione vix reuocassent, tertio attolli; donec *Bartleyus* Arcis Præfectus atrocitatem pertæsus iussit cessari; qui & abdicasse se officio dicitur nè in posterum innocentium crudelissimis terrentisque supplicis auctor interesset.

XX. Nactus quietem à tortoribus, ad spiritus exercitationes conferendum esse animum exultauit dum artuum rediret usus, quaternis quinisque horis ad cõmentandum præfinitis. Orationes etiam quæ in Sacrosancto sacrificio recitantur, quantum memoria suggerere bat, quotidie usurpabat; ut licet nullo sacro instrumento instructus, eo quem in Sacramenti velamine sulcipere consueuerat spiritualiter frueretur. Conciliatoque pecunia Custode, cum libros chartamque impetrasset, caeptis redire digitis interposito viginti dierum spatio ad pristinos motus, studijs miscerat manuum opera, fabricataque ex obuio ligno paruas Cruces mittebat ad antiquos vinculorum socios in Atrio *Wintoniensi*; In charta verò cui inuoluebantur, occultis characteribus succo pomorum aut reorum expressa significabat amicis quæ volebat; similibusque reddebantur responsa incio artis Custode. Mercede præterea aperuit per intervalla aditum notis quibusdam Catholicis, quorum congressione solatium, industriâ lacram suppellectilem, cum die facultatem elabendi accepit. Ex aduerso eius loci in quo *Gerardus* tenebatur, turris est non longè à muro & flumine posita quibus arx vallatur; in ea turri decimum iam annum custodiebatur nobilis quidam Catholicus cui *Ardeno* nomen: Cum hoc vnius noctis vniusque diei consortium à Custode mercatur *Gerardus* nummi aurei pretio; Infertur etiam clanculum, supplex sacra; rem facit diuinam summa vtriusque lætitia: Duobus & viginti consecratis hostijs prouidet sibi in consequentes dies caelestem mensam. Obieruatâ loci positione ad euadendum commoda, agunt vnâ de fuga. Arte, via, die (*Garnetto* etiam concilio) constitutis, rursus post aliquot hebdomadas de illius loci & hominis congressu paciscitur. De nocte adlabuntur in cymba tres viri, appensis ad pectus ligteis ut agnoscerentur, onusti rudente, cuius alteram partem circumuoluunt trahi in litore inuentæ; alteram proiecto de turri cum lapide filo pilcatur *Gerardus*, adstringitque ad æneum in summo tormentum. Primus delabitur *Ardenus*; quam

1667.

quàm enim ille *Gerardo* deferebat, maluit *Gerardus* amicum hospitem quàm se securum præstare; & is non difficulter euasit. *Gerardus*, præcedentis onere laxato fune, sub murum delatus, & diuturno ad ascensum conatu fessius, comitum industriâ & labore vix recipitur; receptus, & portione cardiaca, quam tulerant, recreatus, transmissio flumine, paratis vltus equis ad *Garnettum* aduolat. Ante digressum ternas scripserat literas; vnas ad Senatam Regium, alteras ad Præfectum Arcis, ad suum Custodem tertias: Primis ad Senatam, explicatis causis cur sibi ea ratione consulendum existimasset, affirmat id actum esse Præfecto Arcis & custode in scijs, ne qua illis culpa collusionis adpergeretur. Alteris ad Præfectum, gratis humiliter actis, excusat etiam Custodem: Custodi verò in tertijs promittit, suum si sequatur consilium, quoad vixerit honestam sustentationem. Vix dum illuxerat, ex fune ad latus turris appenso, (cuius alteram in litore extremitatem præciderant abeuntes) compertum est quidpiam quempiam esse machinatum: Curritur ad Custodias: *Gerardus* & alter non comparent: Quæritur Custos: Is lectis ad se scriptis literis, dum elabendi lectatur viam, incidit in virum à *Gerardo* cum equis paratum, quibus si vellet uti saluus esse posset: Qui oblatos antea quadringentos aureos cum annuo quadraginta aureorum stipendio fuerat aspernatus, propositam nunc amplectitur conditionem, non minus animæ quàm corpori salutarem. Nam illum deinde cum coniuge octoginta aureorum annuâ pecuniâ alendum procurauit, & in Ecclesiæ gremium acceptos ad meliorem quam sperauerant vitæ rationem instituit fouitque. In Senatu Regio alij mirabantur euentum, alij laudabant industriam; frustra quærendum censèbant omnes quem tam facile quærentes elusurum arbitrabantur quàm fessisset custodientes. Ita multis in annos plures fuit utilis fuga, molesta in præsens perpaucis.

Ioannes
Lilius.

XXI. Adiutores ad fugam fuere *Ioannes Lilius*, *Richardus Fullwood*, & ex commentationibus vnus in Wintonensi Atrio. *Lilius*, antequam in illud Atrium Religionis causa custodiendus traderetur Pharmacopæam exercebat. Obtrigit illi in carcere cubile supra cubile *Gerardi*; hinc facile *Gerardo* fuit hominis nosse pietatem & experiri industriam, quâ vtrâque eo loci in multis vltus est; tum amotus ad arcem cum redimendum curasset porro uti perseverauit. Ille amicos, ille occultas intulit literas, ille gratiam apud Custodem conciliauit ampliorem, ille capitis membrorumque periculo alteram fugiendi viam *Gerardo* aperuit cum ei indiuiduus adhereret. In recentibus conductis ædibus sat amplis tres vel quatuor quartum iam diem exercebantur apud *Gerardum* sacris commentationibus ad rectam famulandi Deo viam inuestigandam: Vnius loquacitate vel infidelitate famuli delata fuerat ad Senatam Regium eius rei suspicio; repente ad ianuam Irenarchæ duo cum satellitio: Quid *Lilius*? Stricto vsurus ense si opus esset ingressus cubiculum propellit *Gerardum* & ex nostris alium in latebras renitentem ni se *Lilius* iungeret socium. Nequaquam, inquit, nam si ego lateam, quis libros istos? quis scripta dicet sua? Arguent ista domi latere quempiam; noctes diesque scrutabuntur; perfringent tandem &

manus

Se pro *Gerardo* capi
finit.